

From *Tractatus et sermones* (1490), sig. x2 recto-x5 verso.

[x2ra] Sequitur sermo factus per reverendissimum in Christo patrem dominum Petrum de Aillyaco cardinalem Cameracensem in concilio generali Constanciensi anno Domini M CCCC XVII in medio quadragesime.

Letare Hierusalem. Hoc breve verbum magni gaudii expressivum hodie celebriter canitur in principio introitus misse. Et sumitur ex fine libri Ysaie, ubi dicitur: Letamini cum Hierusalem et exultate in ea omnes qui diligitis eam. Hodie, reverendissimi patres ceterique fratres carissimi, quia de spirituali leticia sermo nobis habendus est, inchoandum esse arbitror ut pro impetranda huius leticie gratia, ad illam virginem matrem humiliter accedamus que non solum civitati Hierusalem militanti ecclesie, sed toti humano generi, nec solum hominibus sed etiam angelis gratiam et leticiam salutarem genuit. Quam de celo missus angelus Gabriel prope terrenam illam Hierusalem nunciavit. In cuius ortu leti cecinerunt angeli: Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bone voluntatis. Eya ergo huic virgini matri gratie salutaris genitrici leticie spiritualis illam letissimam salutationem angelicam presentemus dicentes: Ave Maria.

Secundum Apostoli sententiam in epistola hodierna duplex nobis ostenditur civitas Hierusalem: una secundum litteralem sensum, alia secundum spiritualem sensum. De prima inquit Apostolus: Syna mons est in Arabia qui coniunctus est ei que nunc est Hierusalem et servit cum filiis suis. De secunda vero ait: Illa autem que sursum est Hierusalem libera est que est mater nostra. Hec igitur spiritualis Hierusalem que edificatur ut civitas, sicut inquit Psalmista: Hec utique est sancta et immaculata mater nostra ecclesia que sursum est quantum ad illam sui partem que triumphans exultat in celis. Sed adhuc deorsum manet quantum ad illam que militans laborat in terris. Sed hec militans ecclesia ad illam triumphantem aspirans eidem uniri ac copulari desiderat. Et spiritualem huius desiderii leticiam in hac quadragesimali Dominica representans, introitum misse a verbo prophetico iubilans inchoat dicens: Letare Hierusalem.

Ubi non immerito queritur, cum hoc sacrum quadragesimale [x2rb] tempus ordinetur ad penitentiam, cur hodie militantem et adhuc in terris laborantem ecclesiam ad leticiam excitamus. Sed sciendum nobis est, o cives egregii huius civitatis Hierusalem quod actenus ab initio quadragesimalis ieiunii suspendimus organa leticie, ut nobis insinuaretur medicinalis amaritudo, que precedere debet in penitentia. Sed iam relaxantur organa nostra ut in nobis excitetur spiritualis exultatio per considerationem futuri gaudii quod succedere debet in patria. Unde in huius leticie signum summus pontifex Romane ecclesie que omnium ecclesiarum mater est et magistra rosam auream cum musto et balsamo hodie in publicam fidelium presentiam exhibere consuevit, quasi universam excitans ecclesiam diceret: Letare Hierusalem.

Letare igitur o Hierusalem fidelis civitas, id est fidelium civium unitas, letare nunc et gaudenter intellige verbum hoc propheticum ad te maxime pertinere multo magis quam ad illam infidelem et infelicem Hierusalem, quam Hieremias in libro Trenorum lamentabiliter conqueritur desolatam. Et de qua in evangelio legitur: Videns Iesus civitatem Hierusalem flevit super eam. Non ad illam utique sed ad te universalem ecclesiam militantem. Et ad hoc sacrum generale concilium te representantem maxime pertinet quod hodie canendo dicitur: Letare Hierusalem.

Sed iam videre mihi videor matrem ecclesiam tristem et lacrimosam ad hec querulose respondentem atque dicentem. Quomodo inquit fiet istud. O fideles filii, quomodo aut quo pacto letari potero que tristicie causas, signaque tristium eventuum undique conspicio? Ecce, inquit ipsa. Ecce ego mater olim felici prole fecunda, iamdiu et proch dolor nimis a reprobis filiis quos enutrivit et exaltavi spreta sum. Nec spreta solum sed non minus quam vetus illa Hierusalem multipliciter conculcata. Ego dudum a Christo sponso meo supra firmam petram

fundata, eius sanguine consecrata, apostolorum predicatione solidata. Tot martyrum totque sanctorum meritis et virtutibus aucta. Tam magnifice fidelium principum et Christiani populi devotione dotata, tamdiuque divitiis et honoribus prosperata. Iam innumeris periculis et adversitatibus circumdata sum, et ex longa malorum experientia timeo precipitium ad peiora. Heu heu, videtis! O fideles filii, videtis me matrem vestram Christi [x2va] sponsam multipliciter divisam mirabiliter laceratam, miserabiliter deformatam. Si hec ergo piis oculis videtis utique lacrimari magis vobis convenit quam letari, mihi que dulcius est meam deflere tristitiam quam audire: Letare Hierusalem. Ad huiusmodi vero lacrimosas querelas matris ecclesie devoti eius filii in hac sacra synodo congregati eam consolando respondent: Letare, inquit, Hierusalem, exulta Christi sponsa omnium fidelium mater ecclesia quia causam huius leticie et exultationis tue sequentia introitus misse verba declarant, quibus dicitur: Conventum facite, id est ad generale concilium, convenite omnes qui diligitis eam, qui ideo filiali devotione ex matris dilectione convenistis ut eam divisam reunire, laceratam reparare, et deformatam reformare, divina favente gratia valeatis. Et quia hoc pie sperandum est, ideo subditur: Gaudete in leticia qui in tristitia fuistis. Precessit igitur magna tristitia sed iam maior leticia subsequatur, fiat causa maioris leticie prioris tristicie memoria, sic enim iuxta Virgilio sententiam: Preterita olim mala meminisse invabit. Scimus itaque multas causas multaque signa precessisse tristicie et meroris discordie et furoris, miserie et doloris, causas videlicet atque signa scismatice divisionis et ecclesiastice deformationis. Iam vero quod gaudenter referimus videmus signa iocunditatis et leticie, signa caritatis et concordie, signa prosperitatis et conplacencie, signa videlicet pacifice unionis et reformationis ecclesiastice. O mirabilis mutatio dextere excelsi! O preclarum diem et quem merito faustum dixerim sub quo hoc fieri contigerit! O beatos oculos qui hoc videre meruerint! O felicem locum, hanc videlicet Constantiensem civitatem, quam Dominus ad hoc elegere dignatus est! Sed o magis laudanda atque extollenda immensa Dei clementia que pulsis preteritis malis, tam ingens sue largitatis beneficium conferre disposuit! Eya ergo post tanta tanquam tristitia mala horrendi scismatis que mens humana vix rememorari sufficiat. Iam merito letetur Hierusalem iam exultet et gaudeat mater ecclesia de innumeris et inenarrabilibus bonis que ex hac unione simul et reformatione speramus. Speramus equidem veram unionem non absque reformatione; speramus veram reformationem non absque unione. Una quippe sine altera esse nequit, dicente Psalmo: Iusticia et pax osculate sunt. He due, teste Augustino, sorores sunt et sese inseparabiliter [x2vb] comitantur. Si ergo unionis pacem querimus reformationis iusticiam prosequamur. Tunc enim matri ecclesie rite dicere poterimus id quod in libro Thobie de Hierusalem scribitur: Tu autem letaberis in filiis tuis, quoniam omnes benedicentur et congregabuntur ad Dominum. Beati enim omnes qui diligunt te et qui laudent super pacem tuam.

Letare ergo Hierusalem. Hiis itaque verbis consolatoriis exhilarata Hierusalem et letificata mater ecclesia. Nos devotos filios suos viceversa ad gaudium exhortatur et per apostolica verba ad leticiam excitat, dicens: Gaudete in Domino semper; iterum dico, gaudete; modestia vestra nota sit omnibus hominibus; Dominus prope est. In quibus verbis tria specialiter notare et notanter considerare debemus. Primo, in quo sit gaudendum; secundo, quomodo gaudendum; tercio quare gaudendum. In primo gaudii notatur materia; in secundo gaudii, forma; in tercio gaudii, causa. In primo consistit gaudii perfectio et excellentia: Gaudete in Domino; in secundo consistit gaudii duratio et consistentia: Gaudete semper et iterum gaudete; in tercio proficit gaudii ratio et efficacia: Dominus prope est.

Consideremus itaque primo et in his verbis notemus, o viri doctissimi, gaudii nostri materiam et in quo sit gaudendum. Gaudete, inquit, in Domino. Ubi non me sed Augustinum

audite: Gaudete, inquit, non in seculo sed in Domino. Hoc est omne bonum in quo gaudendum est statuere in Deo, non extra Deum. Sicut enim non potest homo duobus dominis servire, sic nemo potest in seculo gaudere et in Domino. Multum enim hec duo gaudia differunt que omnino contraria sunt nec simul in eodem esse possunt. Vincat ergo gaudium in Domino donec finiatur gaudium in seculo. Illud semper augeatur, hoc semper minuatur, donec finiatur. Hec ille. Attendite ergo quod multiplex nobis gaudium proponitur: gaudium temporale quod est fugiendum, gaudium spirituale quod est amplectendum, gaudium eternale quod est expectandum. Primum est gaudium in seculo, secundum et tertium est gaudium in Domino. Fugiendum est itaque gaudium temporale quia vanum et erroneum, quia permixtum et impurum, quia breve et momentaneum.

Attendite gaudium vanum et erroneum. Risum, inquit sapiens, reputavi errorem, et gaudio dixi: Quid frustra deciperis? Attendite gaudium permixtum et impurum. Risus, inquit ille, dolore miscebitur et extrema gaudii luctus occupat. Nulla quippe est pura et sincera seculi [x3ra] leticia. Sed, ut Boecius ait, Habet hoc voluptas omnis, stimulis agit fruentes. Attendite gaudium breve et momentaneum. Laus impiorum brevis est, inquit Iob, et gaudium ypocrite ad instar puncti. Hoc ergo gaudium anime nostre periculosum est quia in eo ratio excecatur per errorem. Memoria turbatur per dolorem. Voluntas fraudatur propter brevitatem. Ideoque fugiendum est quia in acquirendo labor, in possidendo timor, et in perdendo dolor. Sed amplectendum est gaudium spirituale. Et hoc in nobis triplici radice nascitur. Primo de evasione peccatorum quod est gaudium penitentium et incipientium; secundo de adeptione meritorum quod est gaudium proficientium; tercio de expectatione premiorum quod est gaudium perfectorum. Primum est spirituale, secundum spiritualius, tertium spiritualissimum. Ideoque perfectioribus convenit, quibus a Christo dicitur: Gaudete et exultate quoniam merces vestra multa est in celo. Hec itaque merces est illud gaudium eternale quod est expectandum. Quod utique non est vanum sed plenissimum, non est permixtum sed purissimum, non est breve sed permanentissimum. O valde desiderabile gaudium, vere perpetuum et eternum, in quo amans ab eo quod amatur nunquam seperatur, nunquam dividitur! Quod Christus suis amatoribus promittit, dicens: Gaudebit cor vestrum et gaudium vestrum, nemo tollet a vobis. De spe igitur et expectatione tanti gaudii spiritualiter letatur ecclesia et exultans canit: Letare Hierusalem. Gaudete igitur, o spirituales ecclesie filii, gaudete spiritualiter in Domino, non temporaliter in seculo! In seculo gaudent qui in hiis que in mundo sunt nimium delectantur, id est in concupiscentiis mundi, de quibus in canonica Iohannis scribitur: Omne quod est in mundo aut est concupiscentia carnis aut concupiscentia oculorum, aut superbia vite. O viciorum voraginem, o sillam, o caribdim, o nimium infelicem maleque securum, qui in tanta tanque periculosa mundi tempestate sese feliciter stare aut stabiliter gaudere fallaciter seductus existimat et non potius ab huiusmodi turbido mari in portum quiete salutis effugere et viciorum pericula evadere studeat! Considerate igitur, o pastores gregis dominici, quot et quam varie vos circumveniunt in statu presidentie tentationes et occasiones peccatorum. Ibi quippe delicie, ibi divitie, ibi populares honores. Ex quibus triplex illa quam supra me minimus vitiorum vorago nascitur, ex deliciis scilicet concupiscentia carnis, ex divitiis concupiscentia [x3rb] oculorum, ex honoribus superbia vite. Et quis nesciat nimis esse difficile non dicam vincere sed fugere in deliciis gule luxurie voluptatem. In divitiis inordinate avaricie cupidatatem, in honoribus superbe glorie vanitatem. Quis preterea ex hac procella enatare poterit sine multiplici perturbatione vite, lesione fame, ac perplexitate conscientie. Nunc vita in sua virtute concutitur, nunc fama in suo honore scandalisatur, nunc conscientia in sua pace molestatur. Quid dico molestatur, imo pene deiicitur? Quis enim perplexos conscientie nodos evolvat? Quibus status pastoralis et maxime

sublimitas papalis involvitur, quis curas enumeret animum lacerantes ac in diversa et adversa trahentes, que mentis quietem et spiritualem tranquillitatem perturbant, cum miris et in enarrabilibus modis peccatorum occasionem prebeant. Heu heu, quam insuave iugum et vere onus gravissimum angelicis etiam humeris formidandum! Unde non satis admirari possum quosdam honoris avidos tanti oneris pondus non pertimescere, sed magis ambiciose querere et habitum pertinaciter retinere, nec tanti ponderis pericula formidare cum sint fragiles et infirmi, et ad tam importabilia onera debiles et imperfecti. Econtra vero illum felicem multiplicem dixerim qui imperfectum suum recognoscens tam ponderosum iugum a dorso suo excutit, ac tam oneroso periculo et periculoso oneri libens cedit, ut de illorum numero fiat qui multiplicem prelationis laqueum innumeris tribulationibus involutum humilitatis pede conterunt, ut ad spiritualem libertatem et liberam quietem evadant. In quorum persona per Psalmistam canitur: Laqueus contritus est, et nos liberati sumus. Et hec de prima consideratione sufficiant.

Consideremus secundo gaudii nostri formam et quomodo sit gaudendum. Gaudete, inquit, in Domino semper. Ubi glosa: Non ad horam sed semper quasi diceret: Non leviter sed perseveranter. Sane qui spiritualiter gaudent in Domino, etiam si temporaliter contristari videantur, tamen semper gaudent et perseveranter secundum illud Apostoli: Quasi tristes semper autem gaudentes. Qui vero temporaliter gaudent in seculo leviter gaudent et instabiliter, sicut scriptum est: Extrema gaudii luctus occupat. Gaudete igitur semper, o spirituales viri, spirituali gaudio non carnali, nec solum interius sed iterum exterius. Ideo subdit Apostolus: Iterum dico gaudete, quasi duplex nobis gaudium ingerat doceatque, non solum leticiam interiorem in corde [x3va] sed iterum exultationem exteriorem in corpore, iuxta illud Psalmi: Letamini in Domino et exultate iusti. Hoc est ergo gaudium iubilationis et laudis quod ad speculativos seu contemplativos maxime pertinet. De quo in Psalmo dicitur: In convertendo Dominus captivitatem Syon, facti sumus sicut consolati. Syon quippe specula interpretatur que in captivitate manet quando quod videre desiderat non videt. Gaudium enim contemplationis a Domino non datur nisi cui vult, quando vult et quantum vult. Sed captivitas Syon convertitur quando tenebris effugatis velut nimborum et ventorum nubilis celum consciencie serenatur et tunc diu desideratum diuque expectatum Dominum suum anima contemplatur. Ipsa quoque velut a mundana captivitate libera in divina speculatione consolatur. Et sic verificatur quod sequitur. Tunc impletum est gaudio os nostrum et lingua nostra exultatione. Impletur quippe gaudio cordis, impletur etiam exultatione corporis. Exultatio enim dicitur quasi extra se saltatio. Sicut ergo agni novelli in prato viridi saliant et exultant, sic anime devote per altitudinem contemplationis elevate gaudium suum intra se continere nequeunt, sed quasi extra se saliendo exultando manifestant. De quibus in Psalmo figuraliter dicitur: Montes exultaverunt ut arietes et colles sicut agni ovium. Talibus sic spiritualiter exultantibus, iam dantur primicie paradisi, dantur arre glorie, dantur pignora Spiritus Sancti. O felices animas quibus datur ad tante perfectionis culmen ascendere! Sed quia ut ait Poeta: Est modus in rebus sunt certi denique fines. Quos ultra citraque nequit consistere rectum. Ideo ne gaudium nostrum rationis modum excedat sed rectitudinis medium teneat, notanter subdit Apostolus: Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Sic ergo nota fiat modestia nostra ut omnibus pateat quod non sit immoderate leticia nostra. Ut si sit interius leticia et hylaritas, sit etiam exterius maturitas et honestas. O utinam viri patres et fratres, utinam nobis in hoc sacro concilio congregatur, utinam nobis detur in omnibus hanc modestiam observare! Omnibus adde modum inquit ille: Modus est pulcherrima virtus. Utinam ergo debita modestia, utinam virtuosus modus nobis detur generaliter in omnibus, sed specialiter in rebus arduis et causis maioribus, et singulariter ac specialissime in causis fidem tangentibus. Utinam nobis detur in hiis modeste sapere, quod vocat Apostolus

sapere ad sobrietatem. Certe audeo dicere quod nec modeste, nec ad spiritualem [x3vb] sobrietatem sapiunt qui in hiis que fidei sunt humana iura nimis extollunt et divina nimis deprimunt quibus humana iura debent in iudiciis fidei subiacere et se illis adaptare et conformare, ne fides et fidei fama que leviter et faciliter leditur in fideli populo scandalum patiatur. Dicam hoc clarius. Certe non modeste nec ad spiritualem sobrietatem sapiunt, imo nimis desipiunt qui in causis fidem tangentibus, humanas traditiones divinis mandatis preferunt, et honorem hominis honori Dei anteponunt, et in suis iudiciis processibus vel sententiis magis attendunt interesse hominis, interesse unius persone singularis quam interesse Dei, quam interesse fidei, quam interesse totius reipublice Christiane. Dicam amplius. Certe non modeste nec ad spiritualem sobrietatem sapiunt qui propter quedam humana iura positiva sepe minus bene intellecta, et propter quendam stilum quem iuridicum vocant, legem Dei minus reverenter pertractant, dum sententias in favorem fidei latas, in grave fidelium scandalum sine cause declaratione, simpliciter et sine conditione annullant et nullas esse pronunciant. Caveant illi ne eos tangat illud Iudaicum improprium a Christo dictum: Irritum fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras. Et illud Hieremias: Vere mendacium operatus est stilus mendax scribarum. Certe videtur multis et magnis doctoribus non solum in theologia sed in iure quod non est stilus verax nec vere iuridicus, sed mendax et falsidicus, in quo fundatur aliqua sententia que verisimiliter esse potest fidei catholice et fideli populo scandalosa. Iura enim bona sunt et stilus iuridicus bonus est. Ideo eis bene uti omnino bonum est. Sed ipsis sicut etiam virtutibus contingit male uti quod certe periculosissimum est, audacter assero. Est quidam specialis stilus theologicus qui debet in causis fidei observari. Nec miretur aliquis si stilum theologicum dixerim in causis fidei magis observari debere quam stilum iuridicum. Quis enim nesciat nisi valde ignarus quod quelibet sciencia imo ars quelibet etiam mechanica habet stilum suum, id est modum procedendi sibi proprium? Quid enim est stilus nisi procedendi modus cuique sciencia appropriatus? Cum ergo sacra theologia sit omnium sciencia suprema habet suum stilum sive modum sibi appropriatum. Sicut sciencia canonica habet suum stilum iuridicum. Et sicut sciencia canonica per maiori et digniori sui parte subalternata est sacre theologie, sic stilus iuridicus stilo theologico maxime in causis fidei subalternatus est et subiectus et non [x4ra] econtra. Quid mirum? Si enim secundum Apostolum captivare debemus intellectum in obsequium fidei, id est intellectualem et naturalem rationem, multo magis captivandus est et subiiciendus in obsequium iuris divini et stili theologici ius humanum et stilus hominum iuridicus. Hic, obsecro vos, diligenter attendamus quis stilus quis procedendi modus in causis fidei, in antiquis conciliis generalibus fuerit observatus. Audacter affirmo. Legatur totus liber magnus conciliorum a quo Gratianus in suo decreto plura truncavit. Non inveniatur quod antiqui patres nostri in conciliis generalibus hunc stilum sive procedendi modum iuridicum sed magis theologicum in diffiniendo causas fidei servaverint. Absit ergo, absit omnino quod hoc sacrum concilium talem processum observari decreverit. Certus sum quod hec non est sacri intentio concilii, nec fuit, nec esse debuit. Non debet ergo sacra theologia, non debet theologicus stilus, non debet materia fidei sub regulis et ligaminibus stili iuridici coartari, non capistrari, non alligari quia secundum Apostolum: Verbum Dei non est alligatum. Non debent ergo dicta theologorum in materia fidei in uno sacco ligari, non debent in tenebris examinari, sed poni super candelarum ut luceat veritas fidei omnibus qui in domo sunt. De qua re plura dicenda essent si non ad alia festinaret oratio. Ideoque ne illam quam suadeo modestiam excedere videar ad apostolica verba prosequenda redeo. Utinam ergo nobis detur modeste gaudere semper in Domino, et iterum atque iterum interius exteriusque gaudere. Sed, proch pudor, multi sunt utinam non in nobis qui nec in Domino gaudent, nec semper gaudent, nec modeste gaudent. Hii sunt qui gaudent in rebus

pessimis, qui gaudent in mundi concupiscentiis, ideo non in Domino sed in seculo gaudent. Hii sunt gulosi et luxuriosi qui gaudent in deliciis assequendis. Hii sunt cupidi et avari qui gaudent in divitiis congregandis. Hii sunt superbi et ambiciosi qui gaudent in honoribus acquirendis. Nec solum humano more acquirendis sed inhumaniter, fraudulenter, symoniace et violenter usurpandis et tyrannice ac pertinaciter retinendis. Hec autem licet ab omnibus et singulis tamen specialiter ab ecclesiasticis viris vitanda sunt, et singulariter a prelates quorum vita et conversatio esse debet ceteris in exemplum, et quibus dicitur: Vos estis lux mundi. Fugite igitur, o prelati ecclesie, fugite mundi gaudium fallax et deceptorium fugite, quia sicut ait Poeta: Latet anguis in herba, [x4rb] latet sub hoc gaudio voluptas venenosa. Que iuxta Seneca sententiam ad hoc nos amplectitur ut strangulet. Fugite itaque et potius eligite in mundo contristari quam cum mundo gaudere. Audite Christum: Mundus, inquit, gaudebit vos autem contristabimini, sed tristitia vestra convertetur in gaudium. Ubi notate multiphariam esse tristitiam que tandem in gaudium magnum convertitur. Est tristitia spiritualis contritionis que procedit ex consideratione sui; est tristitia visceralis compassionis que procedit ex dilectione proximi; est tristitia temporalis desolationis que procedit ex tribulatione mundi. De prima ait Apostolus: Que enim secundum Deum tristitia est penitentiam in salutem stabilem operatur. De secunda inquit Psalmista: Quesivi qui simul contristaretur et non fuit et qui consolaretur et non inveni. De tertia ait Christus in evangelio: Vos autem nunc tristitiam habetis. Unde quia dicit nunc, notat hanc tristitiam esse brevem et quasi momentaneam et ideo patienter tolerandum. Audivit hoc beatus Petrus Apostolus et corde retinuit et ore docuit. In quo inquit exultatibitis modicum nunc si oportet contristari. Ecce tristitiam brevem quia nunc quasi sit instantanea. Ecce tristitiam levem quia modicum si oportet contristari. Ecce tristitiam utilem quia in quo exultabitis. Hec ergo tristitia propter sui brevitatem, levitatem et utilitatem non plene tristitia dicenda est, sed quasi tristitia cui annexa est semper interna leticia, ideo notanter ait Apostolus: Quasi tristes semper autem gaudentes. Hec est itaque tristitia salutaris que iuxta promissionem Christi convertetur in gaudium. De quo premissum est: Gaudete in Domino semper iterum dico gaudete. Et de quo canit ecclesia: Letare Hierusalem. Et hec de secunda consideratione sufficiant.

Consideremus tercio gaudii nostri causam et quare sit gaudendum, quia videlicet Dominus prope est. O vere magnam, o ingentem gaudendi causam! Dominus prope est. Parum quippe posset esse gaudium si ad servos consolandum adveniret servus licet prope, vel si Dominus licet longe. Sed magnum utique gaudium hic ex duplici causa notatur. Tum ex consolatoris potestate, quia Dominus prope est. Tum ex consolationis propinquitate, quia prope est. Iterum ergo gaudete et iterum atque iterum multum gaudete, quia Dominus prope est. Sed inquirendum nobis est, quibus prope est Dominus, [x4va] sane quantumcunque multipliciter sit propinquus, non tamen ad salutis efficaciam prope est omnibus, dicente Psalmista: Longe a peccatoribus salus, quia iustificationes tuas non exquisierunt. Exquiramus ergo iustificationes Domini et ad eum per iustas operationes accedamus si eum ad nos appropinquare cupimus. Convertimini ad me, inquit Dominus per prophetam, et ego convertar ad vos.

Sciendum autem nobis est quod quantum ad propositum pertinet prope est Dominus tribus hominum generibus. Prope est invocantibus in oratione ad exaudiendum. Prope est expectantibus in tribulatione ad consolandum. Prope est laborantibus in peregrinatione ad reficiendum. Audiant in oratione invocantes quam prope est eis Dominus ad exaudiendum. Prope est, inquit Psalmista, prope est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate. In veritate invocant qui non solum ore sed corde Deum orant. Hii de illorum numero non sunt de quibus dicitur: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. Absit a nobis et procul absit a processionibus et orationibus nostris hoc improprium, alioquin longe erit a nobis

Dominus.

Audiant deinde in tribulatione expectantes, quam prope est eis Dominus ad consolandum. Iuxta est Dominus, inquit Psalmista, hiis qui tribulato sunt corde. Quibus verbis consolentur expectantes in hoc sacro concilio pacem ecclesie. Quibus sepe dictum est: Expecta reexpecta, qui ideo tribulato sunt corde, quia ut ait sapiens: Spes que differtur affligit animum. Sed ne longiores expectationis tedio affligantur, audiant quod in eiusdem Psalmi versu subditur: Et humiles spiritu salvabit. Expectent ergo humiliter, expectent patienter, expectent perseveranter, et implebitur in eis illud eiusdem Psalmiste: Expectans expectavi Dominum et intendit mihi. Quid est intendit mihi? Hoc est me in tribulatione expectantem et ad eum clamantem audivit et exaudivit. Clamavit ad me, inquit, et exaudiam eum cum ipso sum in tribulatione. Ecce non solum prope sum, sed cum ipso sum. O magnum tribulationis privilegium que talem secum habere meretur hospitem et socium! Audiant denique in peregrinatione laborantes quod prope est eis Dominus ad reficiendum. Venite, inquit, ad me omnes qui laboratis et onerati estis et ego reficiam vos. O verbum laborantium consolatorium et peregrinantium refectivum!

Sed iam, patres fratresque prestantissimi, iam ex lectione sacri evangelii que hodie recitata [x4vb] est breviter ostendere proponimus quam prope est Dominus ad reficiendum laborantes peregrinantesque in via huius miserabilis vite, ut ex dicendis appareat quantum evangelium hodernum pertinens sit ad illud spirituale gaudium. De quo sepius supra meminimus. Magnum quippe gaudium est audire magnam Christi compassionem ad illam peregrinantium multitudinem que eum sequebatur. Cum sublevasset, inquit, oculos Iesus, oculos pietatis et misericordie, et vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Phillippum: Unde ememus panes ut manducent hii. Sed maius gaudium quia ut prope fieret multitudini esurientium, dixit Iesus: Facite homines discumbere, accepitque panes. Et cum gratias egisset distribuit discumbentibus. Sed postremo maximum gaudium quod ex quinque virorum milia satiavit ita ut implerentur ex reliquiis duodecim cophini fragmentorum. Et merito hoc maximum gaudium dixerim quia pre magnitudine et admiratione tanti miraculi. Cum vidissent quod fecerat signum dicebant quia hic est vere propheta qui venturus est in mundum. Sed ad cumulum nostri gaudii leticieque spiritualis accedit quod idem miraculum quod tunc corporaliter et presentialiter Christus egit, quotidie spiritualiter in nobis si per nos non steterit adimpletur. Pro cuius rei morali intelligentia sciendum nobis est quod quinque sunt panes spirituales quibus anima in vite presentis via reficitur et spiritualiter sustentatur. Primus est panis penitentie qui est refectio revertentium; secundus est panis doctrine qui est refectio ignorantium; tercius est panis iusticie qui est refectio laborantium; quartus est panis patientie qui est refectio pugnantium; quintus est panis eucharistie qui est refectio omnium fidelium. Ecce ergo ut ait Apostolus: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis in quo ad refectionem nostram salutarem hos quinque panes iugiter debemus accipere.

Accipite ergo primo panem penitentie qui est refectio revertentium, id est de culpa ad gratiam resurgentium. Hic est panis de quo dicebat penitens David: Cinerem tanquam panem manducabam et poculum meum cum fletu miscebam. Cinis quippe minutus est et amarus cuius minuta divisio peccatorum recordationem significat, que fieri debet usque ad minima et cuius amaritudo peccatorum contritionem designat [x5ra] que esse debet amarissima, iuxta illud Ysaie: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine anime mee. Hic est primus panis ordeaceus quo maxime refici debemus in hoc sacro quadragesimali tempore. Panis est propter refectionem; ordeaceus propter asperitatem. Reficit namque spiritum sed macerat carnem, de quo plura utiliter dicenda brevitatis gratia pertranseo.

Accipite secundo panem doctrine qui est refectio ignorantium. Sicut enim panis carnalis

reficit carnem esurientem, sic doctrina spiritualis reficit mentem ignorantem. Unde notanter in Deuteronomio scriptum est et a Christo in evangelio prime dominice huius quadragesime allegatum: Non in solo pane vivit homo sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Hic secundus panis ordeaceus etiam cum refectione asperitatem habet, iuxta illud Apostoli: Omnis autem disciplina in presenti quidem non esse videtur gaudii sed meroris, postea autem fructum pactissimum exercitatis per eam reddet iusticie. Huius vero panis asperitas temperatur dum suaviter salubriterque frangitur ac per hoc ignorantium mentes in veritatis cognitione reficiuntur. In cuius figuram de discipulis Christi scriptum est: Cognoverunt Dominum in fractione panis. Hunc panem frangere est divine scripture ac sacre doctrine verba exponere, veraciter et utiliter aperire. Sed hodie, proch pudor, sunt nonnulli qui hunc panem doctrine male frangunt, imo quantum in eis est ad fidelium intoxicationem corrumpunt ac venenoso et pestifero doctrine sue pane simplices Christianos etiam nonnunquam principes et prelatos decipiunt et seducunt, quorum aliqui fuerunt in hoc sacro damnati concilio. Sed sunt et alii qui ad defensionem errorum et excusationem errantium nova dogmata confingunt, et antiqua divinaque precepta decalogi distorte et aliter quam Spiritus Sanctus eorum actor intellexit exponunt. Qui quosdam stultilogie non dicam theologie doctores, sed verius seductores, quos vocat Apostolus magistros prurientes auribus, ad se et suam suorumque errorum tutelam prece vel precio, favore vel odio, minis vel blanditiis attrahunt et veris doctoribus detrahunt, eis minantur, eos lacerant et diffamant. Hii pseudo magistri et adulatorii doctores ad fautoriam sue prave adulationis ne dicam heretice pravitatis, huiusmodi precepta decalogi non pertinere ad fidem catholice veritatis imprudenter astruunt. Hii preterea errores contra huiusmodi precepta absque errorum assertoribus **[x5rb]** condemnari non posse impudenter affirmare presumunt. Hii denique episcopus cum maximo theologorum concilio in suis dyocesibus errores huiusmodi in fide et moribus notorie scandalosos non posse extirpare et sententialiter reprobare aut condemnare presumptuose diffiniunt. O quam multa adversus hos errores eorum que fautores declamanda essent, nisi ad finem properaret oratio! Hic tamen unum silere non possum. Hoc est quod hii omnes prefati errores sacro huic concilio et eius honori ac auctoritati manifeste contradicunt, et eius diffinitionibus patenter contraria sunt. Nam eorum opposita in eo practicata fuerunt et notorie approbata, sicut clare constat exactis et sententiis latis contra errores quam plurimos prout hec et alia declarare propono, si debita audientia in causa fidei et debitus procedendi modus detur. Hic tamen protestor et ad hoc Deum testem invoco quod nihil in hac materia dixi favore vel odio nec ad dedecus aut iniuriam cuiuscumque, sed ad huius materie concordiam quantum in me fuit possetenus laboravi, et ad talem concordiam que et fidei catholice et cuiuslibet persone honorem salvare poterat, sed ceca superbia et superba cecitas hanc concordiam non admisit. Nihil ergo loquor nisi sola veritate coactus. Et primo et principaliter ad honorem Dei et sue fidei catholice, secundo huius sacri concilii, tercio sancte Romane ecclesie et sacri collegii, quarto Christianissimi regis Francorum qui et sui predecessores apud ecclesiam meruerunt quod cause fidei que ipsum et regnum suum tangunt in hoc sacro concilio modeste et reverenter tractentur. Postremo ad honorem alme matris universitatis Parisiensis et specialiter theologicæ facultatis. Horum enim omnium honor et reverentia hic multum tangitur et multo plusquam plures existimant et iam huiusmodi eorum honor multum leditur et amplius ledetur. Et ista de hoc pane dicta sint. Comedant ergo et digerant hunc panem qui sanum habunt palatum et bene dispositum stomachum.

Accipite tertio panem iusticie qui est relectio laborantium, de quo intelligi potest quod in oratione dominica petimus. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Hic panis iusticie ideo dicitur quia digne laborantibus iuste datur, dicente Christo: Dignus est operarius cibo suo.

Econtra vero qui non laborat non manducet. Laborante igitur, o vos operarii messis domince, si hunc panem, id est si sustentationem ex fructibus ecclesie digne queritis recipere. Hic enim panis ordeaceus est quia cum sua vitate refectionis habet asperitatem laboris, iuxta illud quod in Genesi scriptum est: **[x5va]** In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Consoletur autem caritas vestra quia si iuste laboraveritis nec vilem mendicitatem nec turpem indigentiam incurretis, dicente Propheta: Non vidi iustum derelictum nec semen eius querens panem.

Accipite quarto panem patientie qui est relectio pugnantium, de quo in Ezechiele scriptum est: Panem suum in sollicitudine comedat. Sane ubi pugna ibi ut sit sollicitudo maxima necesse est. Hic ergo panis ordeaceus est quia habet refectionem anime, sed etiam asperitatem pene et tolerantiam patientie. Sed quantacunque sit huius duricies panis temperari poterit ex consideratione dominice passionis. Quia ut Bernardus ait: Si passio Domini ad memoriam revocetur, nihil tam durum quod non equanimiter toleretur.

Accipite quinto panem eucharistie qui est relectio omnium fidelium. Hic est panis nuptialis qui reficit discumbentes in mensa Domini, de quo Christus ait: Panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita. Hic panis est in presenti ordeaceus sed in futuro erit triticeus quia purus. Nunc autem ordeaceus dicitur quia cum afflictione anime sumitur, dicente Apostolo: Probet autem seipsum homo et sic de illo pane edat et de calice bibat.

Audistis igitur de quinque panibus. Audite nunc breviter de duobus piscibus. Per duos itaque pisces spiritualiter intelligere possumus duplicem consolationem quam in presenti recipit anima quasi ad condiendum illam quam prediximus quinque panum asperitatem. Prima est spes et expectatio bonorum eternorum; secunda est experientia quedam spritualium carismatum. Prima consolatione sustentatur anima in adversitate temporali; secunda reficitur in prosperitate spirituali. Prima consolatio est quasi piscis maris quia capitur in adversitate; secunda quasi piscis fluvialis sive aque dulcis quia capitur in prosperitate, iuxta illud Psalmi: Ponam in mari manum eius et in fluminibus dexteram eius; in sinistra quippe manu adversitas et in dextra prosperitas designatur. O beatos illos et vere beatos quos ex hiis quinque panibus et duobus piscibus spiritualiter intellectis Christus in peregrinatione huius deserti refecerit, et quorum esuriam salutari cibo satiaverit! Quibus ad eo dicitur: Beati qui nunc esuritis quia saturabimini. **[x5vb]**

Audistis ergo ex hodierna lectione evangelica tam litteraliter recitata quam moraliter exposita, quantum illa miraculosa relectio pertinens sit ad illud gaudium spirituale, de quo hodie canit ecclesia: Letare Hierusalem. Et de quo sepe dictum est: Gaudete in Domino semper; iterum dico, gaudete. Audistis denique tanti gaudii causam quia prope est Dominus. Prope est nobis invocantibus in oratione. Prope est nobis expectantibus in tribulatione. Prope est, inquam, in presenti per gratiam, sed propinquior erit per gloriam. Quam ille nobis concedere dignetur qui sine fine vivit et regnat in secula seculorum. Amen.